cuius presentia cuncta nigrantia dealbantur. quae quando uult illuminat tenebras nostras.
ut iam non sint tenebrae. et quando uult ita lucet in tenebris ut non comprehendatur
ab eis. qui omnium obstaculorum murum transgreditur. cuius ardor non comburit nostra
sed confouet. cuius radius animae et ipsius secreta penetrat. et uoluntatum
tuarum tincturas rimatur. cuius opus ille sol est qui in circuitu terrae continua rotati
one obertat. et ut dicam breuius caelum et terram et quae in eis sunt. tanquam nichilum et
inane sustentat. uniuersorumque creaturarum plasmator intangibiliter omnia continet.
omnia possidet. omnia nouit. totus et infinitus deprehensus. in mensura et pondere
cuncta examinat. discernit confusa. ordinat perturbata. et incomprehensibili
prudentia sic modificat singula. singulisque locis ac temporibus collocat. ut quae fuerunt
et sunt. et futura sunt cuncta dicione posita sint. et uniuersorum deus cuncta ad
arbitrium suae uoluntatis inclinet. Cum autem ad domum huius uisus peruenit.
et certum numerum generationum dierum. immo unus dies quae multis milibus praesertim
incomparabiliter melior est. attendunt. et demum considerent quod omnia ista uana sunt
et quod uane conturbetur omnis homo uiuens quantum uiuit ex homine. sequitur
sub generali uanitate propter incolatum terrae et cohabitationem cedar. tenent circum
spicientes. et calescit rursus intra se et in meditationibus suis exardescente secundum
desideriorum igne. notum sibi fieri finem illum postulant in quo tota mentium nostrarum
mutabilitas conquiescat. quae patris pax est et gratia. qui uanis et conturbatis homini
bus attulit pacem bonae uoluntatis. assidueque dat multi pacem diligentibus legem
suam. datur quandoque illa quae exsuperat omnem sensum. Veruntamen cum haec audi
mus. non debemus sub relictis pacis securitate tempore. sed studiosius ut retinere et
custodire quod inter hostes suscepimus. quia quod sub certaminis conditione nobis
praestitum est non finito belli tempore quiete possideri non potest. Quia cum de potesta
te tenebrarum in regnum caritatis translati sumus. quos prius famulatus est